



**R. P. Martini De Esparza Artieda, Navarri, Theologi Societ.
lesv, Cvrsvs Theologicvs**

iln decem Libros, & duos Tomos distributus, Ivxta Methodvm, Qva In
Scholis Societatis Iesv communiter traditur annis quaternis

Continens Secvndam Secvndæ, & Tertiam Partem D. Thomæ

Esparza Arteida, Martin de
Lugduni, 1666

LXXXIII. Vtrum actus omnium cæterarum virtutum sint imperabiles per
pœnitentiam?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94839](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94839)

opponitur plenitudini gaudij vndequeque perficitur; quandoquidem in Deo etiam datur, circa nostra peccata, nec habet admixtum aliquid doloris, aut tristitiæ, & sollicitudinis. Quo fere pacto D. Aug. lib. 14. de Ciuit. cap. 9. post medium, atque inde Theologi communiter, & quidam fidentius, quam ipse, componunt timorem castum, seu filialem, cum gaudio beatifico. Gaudent nimirum beati de vno, & timent aliud; sicut etiam possunt gaudere de vno, & desiderare aliud: dummodo absit sollicitudo, & anxietas, vti necesse est illis abesse, iuxta dicta quæst. 5. de act. human.

Art. 1. Ad 3. Habitus qui profectur formaliter bonum secundum conceptum relatiuum ad aliquod malum, seu defectum, per nullum actum ferri potest ad idem bonum secundum conceptum absolutum, vt patet in exemplis initio propofitis. Ratio est, quia habitus distingui possunt realiter quoad speciem, dependenter à sola distinctione rationis inter motiua, vt apparet ex quæstione 3. de virt. Theol. Qualibet autem res considerata secundum conceptum absolutum distinguitur ratione à se ipsa, vt considerata secundum conceptum relatiuum. Cum igitur pœnitentia feratur ad bonum oppositum peccatis, eorumque deletium, formaliter vt oppositum, ac deletium, ideoque secundum conceptum relatiuum; patet nullo suo actu ferri posse in ipsum bonum secundum se, seu secundum conceptum absolutum.

Art. 2. Porro præexistencia peccati, licet nullam conferat, aut superaddat bonitatem peculiarem donis, quæ opponuntur eidem peccato, habetque sufficientiam sibi intrinsecam ad illud delendum, confert nihilominus proximam peculiarem referibilitatem ad ipsum. Nempe quod ex se est remotè referibile ad aliquem terminum, per positionem termini redditur proximè referibile. Et similiter quod est actiuium, seu quasi actiuium ex se remotè tantum, redditur actiuium proximè posito, seu applicato passo, seu materia, circa quam. Conferunt igitur peccata prædictis donis peculiarem amabilitatem quam antea non haberent; non quidem intensiuam, cum non reddantur propterea digna maiori amore, quam antea; bene tamen extensiuam, quia inde redduntur amabilia amore essentialiter relatiuo ad peccata præexistencia, vt præexistencia, quo prius amari non poterant.

Art. 3. Quia verò istiusmodi relatio est boni ad malum, propterea fundat amore boni essentialiter delectatiuum mali, ad quod refertur. Est enim relatio disquiarentiæ, obiectiue bona ex parte recti, & mala ex parte obliqui, ideoque fundat affectum duarum quasi facierum, inuicem oppositarum; utpote respicientem terminos inuicem oppositos. Hic porro affectus differt specie à puro amore eorumdem bonorum per solum defectum perfectionis iuxta dicta in illa q. 80. qua de causa dictum nuper est peccatum adiicere amabilitatem extensiuam tantum, & non intensiuam.

QVÆSTIO LXXXIII.

Virum actus omnium ceterarum virtutum sint imperabiles per Pœnitentiam?

Videtur non esse imperabiles per ipsam. 1. Quia virtus inferior non potest imperare actum virtutis superioris, sed è conuerso virtus superior habet imperium supra virtutem inferiorem. Qua de causa attribuitur charitati imperium supra reliquas omnes virtutes, nullique alij virtuti conceditur impe-

rium supra ipsam, vt pluribus ostensum est quæst. 41. de virt. Theol. dictum autem est supra q. 80. pœnitentiam esse inferiorem reliquis omnibus virtutibus non præsupponentibus ex se peccatum. Ergo pœnitentia nullum alicuius eiusmodi virtutis actum imperare potest.

2. Actus pœnitentiæ præsupponit essentialiter, tum actum fidei, quia hæc essentialiter est directiua omnium actuum salutarium; tum actum spei, quia absque ipsa non potest intendi finis dependens à misericordia Dei supernaturaliter operantis, qualis finis est deletio peccatorum: Præsupponit præterea ex natura rei actum charitatis, & timoris, tum filialis, tum seruilis, vt constat ex eadem quæstione 80. artic. 2. Impossibile autem est, vt subsint imperio alicuius virtutis, actus virtutum qui præsupponuntur ante illius exercitium. Impossibile igitur est vt pœnitentia, impefer actus omnium virtutum.

3. Quod est inductiuum actuum pertinentium ad omnes virtutes est appetibile per se, & non tantum per accidens ex suppositione minime appetibili. Quia quod est inductiuum appetibilis per se, est & ipsum appetibile per se; cum fieri non possit vt cui est appetibilis aliquis effectus, non sit eo ipso appetibilis eodem modo causa inductiua illius. Actus autem ceterarum virtutum sunt appetibiles per se, vt patet, cum tamen actus pœnitentiæ non sit appetibilis, nisi per accidens ex suppositione peccati minime appetibili. Ergo actus pœnitentiæ non potest esse imperatiuus, seu inductiuus, & causatiuus, per suum imperium actuum pertinentium ad reliquas omnes virtutes.

4. Actus pœnitentiæ sufficiunt se solis ad obtinendum finem intentum per ipsos nempe ad obtinendam deletionem peccatorum, vt liquet ex diuinis remissionis peccatorum promissionibus factis cuiuslibet verè pœnitenti Ezech. cap. 18. & cap. 33. exque aliis testimoniis indicatis quæst. 78. art. 2. Nulla autem virtus inducit actiuitate sua, seu mediata, seu immediate quidquam, ultra ea, quæ sunt necessaria, & sufficiunt ad finem intentum per virtutem eandem, eidemque vnice præfixum. Ergo virtus pœnitentiæ non imperat nec inducit per actus suos, actus vllius alterius virtutis.

Art. 1. Respondetur qualibet virtus applicat mediatè, vel immediate omnes potentias interiores & exteriores ad omnes operationes, non solum omnino necessarias, & sufficientes, sed etiam vtunque viles, & conferentes ad consecutionem sui finis. Quia qui vult aliquem finem, ex ipsa volitione, vndequeque demum, & ex quocunque habitu concepta sit, mouetur ac determinatur ad omnia media vtilia respectu talis finis; nec nisi eo ostento iisque omnibus præstitis, quibus ipse obtinetur impetus intentionis præconceptæ conquiscescere potest, aut cessare ab applicatione, & exercitio omnium potentiarum, ac virtutum, quæ insunt intendenti. Fieri enim alioquin posset vt quis vellet aliquid simulque non vellet, aut vt volenti non parerent vires actiue intrinsecè subordinatæ voluntati. Omnium autem, & quarumlibet virtutum actus sunt viles ad consequendam deletionem, ac remissionem peccatorum, qui est finis intentus per pœnitentiam, quia omnes actus virtuosus sunt placentes Deo, & meritorij, saltem de congruo; ideoque omnes sunt idonei ad placandum Deum respectu peccatoris, & consequenter ad eum promouendum, vt remittat peccata, aut immediate ratione actus iam exhibiti, aut mediata ratione vltiorum actuum maioris perfectionis, pro quibus eliciendis prouidentur auxilia gratiæ propter actus præexistentes. Itaque pœnitentia hoc habet ex sua natura, vt per actus suos imperare, ac inducere valeat actus omnium aliarum virtutum.

Art. 2. Contingit porro dupliciter, vt actus vnius virtutis imperetur, ac inducatur per actum alterius virtutis. Primo perfectè, & omnino efficaciter efficacia affectiua, & effectiua. Secundo imperfectè, & efficaciter efficacia tantum affectiua. Efficacia effectiua perfecta vnius actus voluntatis respectu alterius actus imperati per ipsum est illa, quæ non solum est incompossibilis cum omissione actus imperati, sed etiam est sufficiens se sola ad superandam omnem difficultatem, quæ inest eidem actui imperato iuxta naturam ipsius; ideoque cum inducit absque vlla difficultate, potente de nouo retardare voluntatem quo minus ipsum eliceat. Talis Efficacia conuenit vniuersaliter virtuti superiori respectu virtutis inferioris, æquialenter contenta in ipsa. Qua de causa virtus charitatis imperat perfectissimè actus cæterarum omnium virtutum, vt dictum est quæst. 41. de virt. Theol. & similiter imperant, magnificencia actum liberalitatis, magnanimitas, actum fortitudinis, & sic de aliis proportionaliter. Huiusmodi Imperium non conuenit virtuti pœnitentiæ respectu cæterarum virtutum, cum sit imperfectior ipsis vt dictum est supra.

Art. 3. Iam efficacia vnius actus respectu alterius imperati per ipsum, absolute imperfecta, & tantum affectiua seu remotè solum effectiua, est quidem incompossibilis cum omissione actus imperati pro instanti, pro quo cum imperat, non tamen sufficit se sola ad superandam omnem difficultatem, quæ inest eidem actui imperato, sed solum minuit eam ipsam difficultatem: tum immediatè, & formaliter, inclinando, & afficiendo voluntatem ad actum imperatum, tum mediatè, ac indirectè applicando intellectum ad considerationem motiuorum allicientium ad eliciendum, talem actum, & præcauendo pericula, occasiones, & circumstantias potentes auertere ab eodem. Imperium hoc modo efficax exercet virtus pœnitentiæ circa actus cæterarum omnium virtutum iuxta fundamentum præmissum, art. 1. virtus namque pœnitentiæ remouet vnumquemque ex sua natura, à periculis fouendi, & relinquendi in expiata peccata præcedentia, & applicat animum ad recogitandum Deo omnes annos suos ad memoriam nouissimorum, & ad æternorum omnium meditationem, quousque tandem, vel immediatè, vel interpositis facilioribus aliarum virtutum actibus, & meritis contritionem perfectam, aut attritionem cum confessione, atque inde deletionem, & expiationem peccatorum primitus intentam consequatur. Eatenus igitur cæterarum omnium virtutum actus dicuntur imperari, & verè imperantur per pœnitentiam, quatenus ipsa multipliciter inclinante, ac solitante, virtus voluntas ministerio omniū virtutum ad placandum Deum compensandum peccata, & obtinendam remissionem eorum.

Art. 4. Actus hoc modo induci per pœnitentiam, duplici rursus ratione, dicuntur imperati per ipsam. Primo formaliter, & per se. Secundo purè materialiter, & per accidens. Actus purè materialiter, & per accidens imperati per pœnitentiam sunt illi, qui sunt quidem præeunte, ac alliciente actu elicitò pœnitentiæ; simul tamen sunt absque vlla reflexione formali, aut ordine intrinseco ad finem, & obiectum peculiare ipsius pœnitentiæ. Perinde nimirum, atque si elicerentur ab homine prorsus innocente, aut à peccatore nihil cogitante de peccatis, deque eorum aut compensatione, aut deletionem, quantum attinet ad prædicata omnia intrinseca talium actuum; licet extrinsece sint proprii pœnitentis, vt pœnitentis per denominationem ab actu elicitò pœnitentiæ, quatenus ex eius motione, & applicatione, veluti à prima radice mediatè proueniunt. Huiusmodi actus non dicuntur simpliciter actus imperati pœnitentiæ, sed

cum hoc addito; extrinsece, & materialiter tantum; itaque actus formaliter, & per se imperati per pœnitentiam, sunt illi soli, qui ita feruntur in motuum vniuersi cuiusque alterius virtutis proprium, vt simul ex motione actus elicitò pœnitentiæ, adiciant per se ipsos dolorem aliquem, & detestationem peccatorum, ideoque intrinsece, ac essentialiter sunt proprii pœnitentis gementis, & tendentis ad deletionem eorundem peccatorum. Præcipui, inter huiusmodi actus, sunt timor, tum seruilis, tum filialis, attritio, & contritio, atque propositum formale emendationis imposterum, qui proinde actus, nomine pœnitentiæ absolute prolato, significantur frequenter in Sacris litteris, & Conciliis, nec non apud SS. PP. Atque hoc profecto in causa, vel maxime fuit, vt plures Theologi confunderent virtutem pœnitentiæ, cum virtutibus omnibus, aut cum aliqua, vel aliquibus ex his per quas eliciuntur immediatè tales actus, cum re ipsa mediatè tantum pertineant ad virtutem specialem pœnitentiæ, tanquam intrinsece imperati per ipsam, atque relati ad finem eiusdem prout expositum hucusque est. His itaque modis virtus Pœnitentiæ imperat, & refert ad finem proprium, actus omnium aliarum virtutum.

Ad 1. Virtus superior infert actum virtutis inferioris imperio perfectò, & omnino efficaci. Inferior verò infert actum superioris imperio imperfectò, & affectiue tantum efficaci, aut cum efficacia effectiua, tantum remotà, & diminutiua difficultatis, vt dictum est. Prior processus est per se proprius existentis in gratia, & charitate; atque habentis virtutes in gradu perfectò. Posterior verò processus est per se proprius peccatoris, aut nondum habentis virtutes in gradu perfectò. Vnde quia pœnitentia principaliter spectat ad peccatorem existentem in peccato, aut habentem virtutes in gradu imperfectò; & propterea pœnitentiæ attribuitur absolute quod per suum qualecunque imperium imperfectum, inducat cæterarum virtutum actus; cum in pœnitente adepto iam statum perfectionis seruetur oppositus ordo, nempe, vt actus pœnitentiæ procedat ex imperio perfectò charitatis, & timoris filialis.

Ad 2. Intentio pœnitentiæ concepta dependenter ab actibus fidei, & spei, aut aliarum etiam præterea virtutum præscribit deinde, vt earundem virtutum actus aut continentur ulterius, aut repetantur sæpius, prout expedit ad consecutionem finis per ipsam intenti. Quod etiam contingit in actu charitatis, quatenus præsupponit similiter actus, vt minimum fidei, & spei; sed inducit postea vi, & causalitate sua, eorundem, vel repetitionem, vel ulteriorem conseruationem. Ex quo apparet dari inter virtutes mutuum imperium, mutuamque causalitatem; sed secundum diuersos numero actus, aut diuersam eorum durationem. In quo nullum est inconueniens. Itaque virtus pœnitentiæ potest quidem per suum imperium inducere cæterarum omnium virtutum actus quod solum dictum est supra, non tamen omnes, quod solum euincit obiectio.

Ad 3. Actus aliarum virtutum, qui sunt intrinsece ordinati ad finem specialem pœnitentiæ, ideoque dependent per se ab eius imperio, non sunt appetibiles per se, sed solum ex suppositione accidentali. Quia essentialiter præsupponunt peccatum, aut falsam existimationem peccati, sicut actus ipsius pœnitentiæ, & neutra suppositio est appetibilis per se. Actus autem aliarum virtutum, qui extrinsece tantum sunt ordinati ad finem specialem pœnitentiæ, sunt quidem appetibiles per se, non tamen dependent per se ab actu, & imperio pœnitentiæ, vt explicatum est supra: Non ergo sequitur actus pœnitentiæ, esse appetibiles per se; quandoquidem non

sunt inductiui per se omnium, aut quorumlibet indiscriminationem actuum pertinentium ad alias virtutes, sed tantum eorum, qui ratione sui obiecti materialis præsupponunt per se peccatum; ideoque non sunt appetibiles per se.

Ad 4. Remissio peccatorum promittitur à Deo in sacris litteris, pœnitentiæ vltimò completæ; & prout completenti vltra actus immediatè elicitos per specialem virtutem pœnitentiæ, alios etiam imperabiles per ipsam, vsque ad supremum, qui est actus charitatis. Vnde non sequitur specialem virtutem pœnitentiæ non imperare aliquos actus aliarum virtutum; sed tantum sequitur totam collectionem eiusmodi actuum pertinentium ad pœnitentiā vndequaque impleram, non procedere imperando alios vltèrius actus sine fine.

QVÆSTIO LXXXIV.

Virum actus elicit, & imperati Pœnitentiæ contineant in se contemptum honestatis, ipsiusque summi boni secundum se?

Videntur continere. 1. Quia intendens aliquem finem, ea ipsa intentione est dispositus ad omitendum, & contemnendum ea omnia, quæ ordinat ad consecutionem talis finis, ex suppositione, quod idem finis sit iam obtentus, aut iam non subsistat ea ratio formalis, sub qua intenditur. Virtus autem pœnitentiæ, per suos actus, tum elicitos immediatè, tum per se, ac intrinsecè imperatos, fertur ad omnem rationem honestatis, ipsumque summum bonum complectitur relatè ad deletionem peccati, tanquam ad suum finem specialem; atque huic fini, ac deletioni nullus est locus seclusa præexistentiā peccati, quatenus nondum deleti. Ergo actus elicit, & imperati pœnitentiæ disponunt animum ad contemptum totius honestatis, ipsiusque summi boni secundum se præcisè considerati, siue vt seiuncti à peccato præexistente, & nondum deleti; atque aded feruntur ad summum bonum, totamque rationem cuiusvis honestatis; sicut fertur agrotus, vt talis ad medicum, & medicinam, cuius sanè affectus continet in se, implicite saltem, & virtualiter contemptum medicinæ, & Medici secundum se præcisè considerati, seu seclusa ægritudine.

2. Actus determinans ad peccandum pro aliquo peculiari euentu, semper continet in se intrinsecè contemptum Dei, & consequenter totius honestatis. Actus autem pœnitentiæ determinat ad peccandum pro aliquo euentu. Pro eo videlicet, in quo appareat esse necessarium peccare de nouo, vt possit delere peccatum præcedens. Qui casus est absolutè possibilis, fieri namque potest, vt quis credat nullum peccatum deleri posse absque Sacramento pœnitentiæ re ipsa adhibito; simulque credat esse intrinsecè malum, & peccatum lethale, negare Christum coram Tyranno, minante necem protinus inferendam, si nolit negare Christum. Si ergo contingat Tyrannum minari de facto necem, in eum finem homini habenti talem fidem, simulque existenti in peccato lethali, & insuper destituto copia Confessoris, atque exercenti actum virtutis pœnitentiæ, ac demum coniecto ob hæc omnia simul, in necessitatem vagam, vel negandi Christum, & peccandi de nouo, vel nunquam delendi, per totam æternitatem, peccatum ante commissum. Is inquam homo, his omnibus positis, determinabitur vtrique, ex vi sui actus pœnitentiæ, ad negandum Christum, & ad peccandum de nouo lethali; vt sic conseruata vita, possit habere locum, & tempus inueniendi Confessorem, & delendi vtrum-

que peccatum. Ergo actus pœnitentiæ ex suo conceptu est talis, qui possit determinare ad peccandum pro aliquo euentu; ac proinde est intrinsecè contemptius Dei, & totius honestatis.

3. Actus pœnitentiæ tam elicit, quam imperati oriuntur, saltem vt plurimum, vt superius dictum est, ex timore feruili primùm omnium præconcepto. Timor autem feruilis detestatur peccatum, præcisè quatenus nocuum respectu peccatoris, & propter penas inferni, ac proinde detestatur magis nocuum tantum proprium timentis, & penas inferni, quam rationem offensæ Diuinæ repertam in peccato. Ergo continet in se saltem virtualiter, & implicite, voluntatem efficacem offendendi potius, & contemnendi Deum, incurrendi penas inferni, nec non vitandi penas potius, quam culpam data optione per possibile, vel impossibile, vitandi alterutrum ex his duobus malis, incurso alterutro, & non aliter. Eadem est ratio de attritione detestante culpam commissam & offensam Dei propter turpitudinem illi conuenientem relatè ad ipsum peccatorem, & propter penas, præcisè quatenus nociuas eidem peccatori, ideoque contemnente, implicite saltem, & virtualiter rationem malitiæ, quæ conuenit peccato relatè ad Deum, nec non rationem offensæ Dei, comparatas cum nocuum peccatoris. Demum actus contritionis, qui est perfectissimus inter actus proprios pœnitentis, est absolutè compossibilis cum prædictis actibus timoris feruili, & attritionis; quandoquidem induci potest per ipsos, & potest eisdem vicissim inducere per imperium, vt patet ex quæstione proximè præcedenti. Ergo hic etiam actus, continet in se eundem contemptum comparatiuum Dei, certè non continet in se appretiationem contrariam prælatiui Dei super omnia. Ex quibus concluditur actus pœnitentis proprios, quales à nobis superius expositi, atque asserti sunt honestos, & laudabiles minimè esse, sed esse essentialiter turpes, ac peccaminosos.

Respondetur. Nullus vllius virtutis actus potest præferre bonum minus, bono maiori, aut illud appretiare plusquam istud, dum vtrumque præcognoscitur, vt tale. Quia omnes quatuorlibet virtutum actus sunt conformes primæ regulæ morum; idest dictamini sapientiæ Diuinæ, atque Diuinæ voluntati, vt liquet ex quæst. 20. de act. hum. Non autem cadit in Diuinam sapientiam, & voluntatem inuersio affectuum contraria dignitati rerum, aut approbatio talis inuersionis. Eadem est ratio proportionalis de virtuosa, & laudabili detestatione maioris, & minoris mali. Actus autem, tam elicit, quam imperati proprii pœnitentis sunt virtuosus, & laudabiles, tam comparatione boni, quod prosequuntur, quam comparatione mali, quod detestantur. Quia sub vtroque conceptu consuluntur, & præcipiuntur sæpè à Deo, vt liquet ex locis indicatis q. 77. art. 2. & apparebit magis infra circa præceptum, & obligationem pœnitendi, nec obscure colligitur ex tota quæst. 75. Impossibile igitur est, vt actus, siue elicit, siue imperati pœnitentiæ contineant in se contemptum; aut postpositionem boni honesti, comparatione purè vtilis, aut delectabilis. Multo verò clarius est impossibile vt iidem actus contineant in se contemptum, aut postpositionem summi boni comparatione aliquius rei creatæ. Eadem porro ratio est proportionaliter de contemptu mali culpæ, & offensæ Dei comparatione mali pœnæ, & nocuum redundantis in peccatorem.

Ad 1. Fertur quidem ad deletionem peccati, vt ad finem suum peculiarem intentio pœnitentis, non tamen fertur ad ipsam tanquam ad finem vltimum, sed tanquam ad proximum, & intermedium, eumque ordinat vltèrius ad felicitatem, & summum bonum, seu